Damnum ejus Spirituale vel Corporale quod ex voto timendum
bet.—
jor bonum ex dispensatione oritur.—
à Commutare votum in bonum melius et saluti suae melius potest.
quis metu, vel gravis mali vovet, valetne?
, quia vovit coactus et non libere.—
quis voveat exterius, et interius non habeat propositum
plendi, valebitne tale votum?
n: quia vovens habet contrariam ~~contra~~ intentionem voto, et
ccat mortaliter sic eludendo Deum.—
estne Episcopus commutare Votum Castitatis ad certum
pus emissum et votum de non contrahendo?
test, et in illis dispensare ex justa Causa, praeser=
~~int~~ incontinentiae, considerata natura, vita, officio
conversatione voventium
dispensans in voto castitatis, dispensatne in eo [illegible] tantum
pecie [illegible] onii et actuum ejus?
inus [illegible] nsat, sed solum in parte [illegible]

Ktorzy pozwanych, ktorzy ...
ia[...] nieprawosci przyieli

Ktorzy [~~oskarzaiaci~~] pozwanych,
Ktorzy sobie z[...] nie prawosci
przyieli, teraz gwaltem sprzeciwiaią się
za nim, ażeby karą smierci nie był
karany

M. X. 14.

Σὺν Θεῷ

DISSERTATIONEM MEDICAM DE SOPORE

Amplissimô Medicorum Ordine
Consentiente
In Illustri ad Pregelam Albertinâ

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
EXCELLENTISSIMO

DNO. GOTHOFREDO SAND/
Phil. & Med D. ac P. P.

Præceptore & Promotore studiorum suorum
æternùm deveneranđô

Eruditorum examini sistit

CHRISTOPHORUS à Lohen/
Prussus.

ANNO 1685. d. 20. Semptembr. horis antemer.
In Auditoriô Majori.

REGIOMONTI,
PRÆLO REUSNERIANO.

VIRIS

NOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO

DNO GOTHOFREDO Sand/

Phil. & Med. D. ac P. P. Celeberrimo,

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO

DNO HENRICO Witte/

Reip. Cniphof. Regiom. Consulari & Camerario Gravissimo,

NOBILISSIMO, SPECTATISSIMO, PRUDENTISSIMO

DNO JOHANNI Böß/

Scabinatûs Cniphof. Assessori Dignissimo,

PRÆSIDI, PATRONIS, FAUTORIBUS,

Colendo, Suspiciendis, Honorandis

Fœtum Studiorum præsentem

D. D. D.

CHRISTOPHORUS à Lohen/

Aut. & Resp.

C. A. L!

ADmiranda ſanè longô detentorum ſomnô exempla apud Autores occurrunt. Ità *Damaſcenus compertum narrat, quòd ruſticus labore defeſſus in fœneô tumulô totum autumnum & conſecutam hyemem perpetim dormierit, donec æſtate fœnô paulatim depaſtô experrectus, tanquam exanimis, totusq; extra ſe poſitus inventus ſit. Sed penès auctorem ſit veritas*, verba ſunt Petri Foreſti *Obſ. & Cur. Med. L. X. Obſ. XXXVIII. in ſchol.* Et Albertus Krantz *Wandaliæ L. VIII. c. 39.* Diſcipulum quendam ſeptem integris annis ſomno indulſiſſe: Plinius verò atq; Diogenes Laërtius *de Vit. Dogmat. & Apophth. Clar. Philoſ. L. I. Tit. Epimenides*, Epimenidem 57. annos dormiviſſe: & Raphaël Volaterranus *Comment. Urban. L. XIX.* ſeptem viros, quorum nomina: Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionyſius, Johannes, Serapion, Conſtantinus; annorum 196. integrorum ſpatiô, ſomnô ſepultos fuisſe, ac tandem expergefactos, referunt. Et talem fortè ſomnum deſideravit aut habuit Æſchines ille, qui ſummum hominis bonum conſiſtere in dormiendô judicans, cùm ſomno aliquando indulgeret, ab aquilâ, ex aëre ingentem teſtudinem in ejus caput demittente, ſummô ſuô bonô fruens, occiſus eſt. Cùm verò experientia teſtetur, ſomnum modum excedentem, homini damnum inferre: *Somnus enim*, inquit Plato *de Legib. Dial. VII., multus nec corporibus, nec animis, neq; rebus gerendis naturâ conducit. Nemo quidem, dum dormit, alicujus pretii eſt, non magis, quam ſi non viveret. Quare quicunq; vivere & ſapere cupit maximè, quàm longisſimô tempore vigilet, ſolâ ſanitatis commoditate ſervatâ*; Soporem impræſentiarum Medicè, breviter conſiderare erit concesſum.

§. 1. Sopor Medicis audit Somnus profundus præter naturam, ſanitatem lædens. Quæ ut rectiùs intelligantur, notandum eſt, Somnum esſe vel Naturalem, vel Præter-naturalem. Naturalem autem, vel Moderatum ſeu Uſitatum, vel Graviorem ſeu Profundiorem. Moderatus eſt, qui hominem poſt uſitatas vigilias quotidie

noctu comprehendit. Gravior est, qui post nimias vigilias, corporis exercitationes, labores graviores, sanguinis aut alius profluvium, & similes causas invadit. Naturalis autem dicitur uterq;, quia fit in hominis salutem, ut scilicet spiritûs dissipati seu debilitati instaurentur. Somnus verò Præter-naturalis est, qui à causâ morbificâ excitatus ad spirituum & virium refectionem nil confert, sed potiùs iis nocet. Conf. Avicenna *Can. L. III. F. 1. Tr. IV. c. 1.* Et hujus species sunt variæ. Ut *Agrypnia est, cùm omnino nullus: Dysypnia, cùm admodum difficulter obtingit somnus. Brachypnia, cùm quis nec multùm, nec longùm dormit: Macrypnia contrà, cùm multùm longumq;. Micrypnia, cùm quis minimô quoq; strepitu excitatur. Cathypnia contrà, cùm vix aut nè vix quidem excitari potest. Soporem vocant Medici*, loquente Joh. Ant. van der Linden *Melet. Medic. Hippocr. L. III. §. CXI.* E quibus speciebus pro tempore Soporem seu Cathypniam proponere libet.

§. 3. Soporis species statuuntur Carus, Coma, Lethargus, Typhomania. Ex his prima est absq; febre: conf. Leon. Jacchinus *in IXnum Libr. Rasis Comm. Part. I. C. VIII.* Laz. Riverius *Pract. Med. L. I. C. II.* Baldass. Timæus von Güldenklee *Cas. Med. L. I. Cas. IX*; reliquæ cum febre. Carus nempe est sopor absq; febre, ità altus, ut excitati vix oculos aperiant, interrogatiq; non respondeant. Coma verò est sopor in accessione febrium præcipuè invadens, non tamen ità altus, quin excitati oculis apertis ad interrogata respondeant. Dicitur etiam Cataphora. (Vulgò est duplex Coma, Vigil & Somnolentum. Somnolentum absolutè Coma seu Cataphora dicitur, de quo hôc locô. Coma autem Vigil seu Cataphora Non-somnolenta est, quando ægri propensionem ad somnum maximam habent, & oculos claudunt spe somni conciliandi, dormire tamen non possunt, sed vigilant.) Lethargus est sopor cum febre obliviosus. Ἔτυμον est ἀπὸ τῆς λήθης ἀργῦ, seu ἀπὸ τῆς λήθης ϗ ἀργίας, id est, ab Oblivione inerti, seu Oblivione & Inertiâ sive Ignaviâ. Latinis dicitur Veternus. Typhomania deniq; est sopor cum febre & deliriô. Conf. Ludov. Mercatus *Consult. Med. IX.* Joh. Ant. vander Linden *l. c.* (Sumitur etiam interdum Typhomania pro Comate Vigili. Vid. Felix Platerus *Prax. Med. Tom. I. C. II.* Lud. Mercatus *de int. morb. cur. L. I. C. XII.* Laz. Riverius *Pract. Med. L. I. C. III.* Joh. Ant. van der Linden *l. c.*) Hinc indè tamen quatuor hæ Sopo-

Soporis species aliter atq; aliter apud Autores describuntur, alii quippe tres tantùm enarrant species, alii plures, alii unius nomine omnes comprehendunt. Conf. Jac. Hollerius *de Morb. Int. L. I. c. 8. in schol.*

§. 4. Signa Soporis patent. Ægri videlicet oculos habent clausos, & si excitentur, statim iterum eos claudunt, & in somnum incidunt, dormiunt etiam nonnunquam demissâ inferiori maxillâ & hiante ore. Signa specierum propria ex parte jam data sunt §. 3. Carus enim à reliquis differt, quòd sit absque febre, & eo laborantes difficillimè excitentur, nec interrogati respondeant, ac nisi puncti non sentiant, respiratio his quoqvè est integra. Coma seu Cataphora in accessione febrium præcipuè invadit, accessione finitâ tollitur, (conf. Leon. Jacchinus *l. c.*) nec ità altè ægri dormiunt, ùt Carô laborantes. In Lethargô adest oblivio, ægri namqve si aliquid poposcerint, porrectum se habere obliviscuntur, & quò gravior est affectus, eò profundiùs dormiunt, nec Lethargus accessione febris sublatâ tollitur, sed permanet. Conf. Leon. Jacchinus *l. c.* Respiratio rara adest & imbecilla, nonnihil tussiunt. Conf. Hippocrates *III. de Morb. V.* 5. *& seqq.* & *Coac. Præn. I.* 192. *& seqq.* Typhomaniæ, præter Lethargo præsentia, & delirium adest.

§. 5. Distingvitur Sopor à Catoche seu Catalepsi, quòd in hac oculi aperti, in illo sint clausi; ab Apoplexiâ, quòd in hac ægri nè quidem puncti sentiant, nec excitari possint, quæ in illo non contingunt; à Syncope & Uteri Suffocatione, quòd in his sit facies pallida & naturali colore destituta, in illo non; à recensitis omnibus, quòd hæc subitò invadant, ille sensim.

§. 6. Causam Soporis optimè percipies, si, quomodo somnus naturaliter accidat, habueris exploratum. Est autem Somnus cessatio seu quies naturalis sensûs communis & externorum, ad salutem animalis instituta. Conf. Aristoteles *de Somnô & Vig.* 2. Quiescunt sensûs, si ad organa non influant spiritûs. Spiritûs non influunt, quia viæ intercipiuntur. Viæ intercipiuntur à vaporibus ad cerebrum elevatis. Elevantur vapores potissimùm è ventriculô cibum concoquente. Hujus rei multa sunt indicia, nam à copiosiore cibô & potu somnolentiores evadimus, & inediam passi insomnes ducunt noctes. Conf. Aristoteles *de Somnô & Vig.* 3. Hanc somni causam adjuvant nimius labor, defatigatio & similia. Lassô enim corpore anima vi-

 rium

rium refectionem meditans, spiritûs dispersione imminutos detinet, vias eorundem intercipiens vaporibus ad cerebrum missis.

§. 7. Hi vapores si svaves sint, atqve secundùm naturam se habeant, finis somni, virium videlicet restauratio sequitur; si verò vel quantitate vel qualitate peccent, morbos inducunt. Nec tamen negandum est, alteratô sangvine vel ab aëre vel ab aliis causis, etiam ejusmodi vapores seu ex corde seu aliunde ad cerebrum ablegari posse.

§. 8. Vapor igitur vel quantitate, vel qualitate, vel utrâqve peccans, intercipiendô vias spirituum, nè ad organa sensuum influant, est causa Soporis. Conf. Laurent. Joubertus *de Cerebri Affect.* & *Med. Pract. L. III. c. 12.* Spiritûs hôc locô intelliguntur Animales, hi enim organis dant sensum & motum, & per nervos ad partes seu organa deferuntur. Conf. Thom. Bartholinus *Anat. Libellô III. C. I.* Nervi itaqve cùm sint viæ spiritûs animalis, in Sopore necesse est occludi. Occluduntur verò juxta principium, vapores namqve nervos ingredi non valentes, ad principium eorum manent, idqve obstruunt. Principium autem nervorum est medulla cerebri oblongata, ùt habet Th. Bartholinus *Anat. Librô III. C. III.* & *l. c.*

§. 9. Viæ verò, per quas vapores ê ventriculô ad nervorum principium tendunt, sunt Venæ & Arteriæ. Venæ sunt quæ vapores ê ventriculô ad cor: Arteriæ, quæ ê corde ad cerebrum & principium nervorum ducunt. Si verò aliunde vapores ad principium nervorum ferantur, easdem vias, Venas nempe & Arterias, statuens, me judice, non aberrabit.

§. 10. Quæ cùm ità sint, exulat sententia, quæ statuit Soporem esse apostema vel tumorem aliquem in cerebrô. Conf. Avicenna *Can. L. III. Fen. I. Tr. III. c. 7.* Victor Trincavellius *Epist. Med. XIII.* Gulielmus Rondeletius *Meth. cur. morb. L. I. C. XVIII.* Licèt experientiâ, quæ in Sopore laborantibus, post mortem dissectis, tumorem vel abscessum in cerebrô deprehendit, se fulciat. Conf. Felix Platerus *Prax. Med. Tom. I. C. II.* Joh. Schenkius *Obs. Med. L. I. Obs. 110.* Petrus Forestus *Obs. & Cur. Med. L. X. Obs. XI.* & *in Schol. ejusd. Obs.* In his quippe subjectis alia fuit causa tumoris vel abscessûs, alia Soporis; neqve aliquis negabit, duos diversos affectûs idem subjectum invadere posse, quod & hîc factum esse existimo.

§. 11. Vapor idcirco pro conditione suâ, aliam atq; aliam Soporis speciem inducit, qui quò crassior, copiosior, malignior, eò profundiorem, diuturniorem, pejoribusq; symptomatis præditum excitat somnum.

§. 12. Cau-

§. 12. Causæ Remotæ sunt eâ omnia, quæ ejusmodi vapores generare queunt. Locum hîc inveniunt sex Res Non-naturales Medicis dictæ: Aër, Cibus & Potus, Somnus & Vigilia, Motus & Quies, Excreta & Retenta, Animi παθήματα. Aërem in nobis causam morbi existere posse, *si is aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis sordibus inquinatior in corpus se ingerat*, testatur Hippocrates *de Flat. VI. 9.* Cibus & Potus ingestus copiosè copiosos etiam producere potest vapores, qualitate verò si peccet, non mirum, si etiam qualitate peccantes vapores generentur. Ex Jejuniô immoderatô & Vigiliis nimiis ob humidum exsiccatum etiam febres accendi posse, inficias ibit nemo. Febris autem posteriorum specierum comes est, & variis de causis excitata calorem universi corporis præter naturam auget, qui humores alterans varios ad cerebrum vapores ablegat. Motus, qui vapores discutere posset, si intermittatur, vapores retinentur, adeoq; plures ad cerebrum mittuntur, quàm conducunt; si sit nimius, etiam febrem accendit. Excernenda si retineantur & Animi παθήματα nimia vel febrem efficiunt, vel vapores aliter generant aut multiplicant. Facere huc videntur omnes causæ febrem excitantes.

§. 13. Est verò omnis Sopor periculosus, & quò diuturnior & altior, eò majus ægro impendet periculum, præcipuè si morbis acutis & debili corpori superveniat. Τὸ καρῶδες πανταχȣ̃ κακὸν, *Sopor ubiq; malus* inquit Hippocrates *Coac. Præn. II. 35.* Et *II. Aph. 1. In quo morbô somnus laborem facit, mortale.* Et *II. Aph. 3. Somnus, vigilia, utraq; modum excedentia, malum.* Conf. *VII. Aph. 71.* Et *II. de Morb. LXIII. 12.* de Lethargicô dicit: *Hic in septem diebus moritur. Si verò has effugerit, sanus evadit.* Si Lethargicis parotides superveniant, aut pus ex auribus profluat cum imminutione symptomatum, bonum est. Et A. Corn. Celsus *de Medic. L. III. C. XX.* de Lethargô inquit: *id quoq; genus acutum est, & nisi succurritur, celeriter jugulat.*

§. 14. Affectum Sopore curaturus tres Medicorum fontes, scilicet Diæteticam, Chirurgiam, Pharmaceuticam, consulere, & ex his conducentia promere poterit.

§. 15. Vocatus itaq; ad ægrum Medicus, â Sopore excitabit patientem, sensibus vehementiora objecta exhibendô. Ità aures im-

 plebit

plebit clamore, ſtrepitu, ſonitu, & ægrum clarâ voce ſæpe propriô nomine appellabit. Naribus præbebit acria, ùt rutam, caſtorium cum acetô. Efficax etiam remedium esſe ait Dan. Sennertus *Pract. Med. L. I. P. II. C. II.*, *ſi acetum acerrimum ſupra laminam ferream ignitam fundatur, & vapor aceti ab ægrô naribus excipiatur. Adhuc efficacius erit, ſi aceto addatur ſem. nigell. rutæ, & caſtorium. Excitat etiam â ſomno ſuffitus* 🜍. Et hæc & alia commendat Laz. Riverius *Pract. Med. L. I. C. II.* Commendatur quoq; hîc Capillorum humanorum cinis cum acetô & aliis in ungventi formam redactus, & naribus impoſitus, vel aliter adhibitus Conf. Dan. Beckherus *Microc. Med. L. I. C. I. Præcipueq; proficit & ad excitandum hominem, naribus admotum; & ad morbum ipſum depellendum, capiti frontive impoſitum Sinapi*, ait A. Corn, Celſus *de Medic. L. III. C. XX.* In os & palatum itidem acria injiciet. Sed & frictionibus, pilorum vellicationibus, & ſimilibus ægrum irritabit. Simul etiam Clyſter præſcribi poterit talis: ℞ Dec. aperit. maj. ℥X. Elect. diacath., hier. picr. an. ʒvj. 🝆 rut. ʒX. ♉ ʒj. M. F. Clyſt., qui ſtatim injiciatur.

§. 16. Deinde, ſi vires ægri admittant, & nihil gravius obſtet, vena ſecanda eſt, & nè vires dejiciantur, non unâ, ſed pluribus vicibus, intrà tamen paucarum horarum ſpatium, ſanguinis evacuandum, quantum opus eſt. Si V. S. non liceat, cucúrbitulæ adhibeantur.

§. 17. Paucis poſt V. S. horis purgantia. præbeantur V. G. ℞ Elect. de citr. ſol. ℥ß, diacarth. ʒij, Caſt. ℈ß, ▽ beton. ℥iv. M. F. P. S. Reinigungs-Tranck auff 1. Mahl. Vel ℞ Extr. aloës ℈j, pil. ♀ Qu. ℈ß, Caſtor. gr. Vj. ▽ lavend. ℥ij, Syr. roſ. ſol. ʒvj. M. F. P. S. ùt antè. Vel ℞ Masſ. pil. coch., marocoſt. Mind. an. ℈s, Caſtor. gr. V, ▽ ſalv., Syr. viol. ſol. an. ℥is. M. F. P. S. ùt antè.

§. 18. Notandum verò, quòd medicamentis his ſemper Caſtorii aliquid ſit admiſcendum, hujus enim uſus in Soporis curatione ferè aliis præfertur. Ità loquitur Alexander Trallianus *L. I. c. 20 edit. in fol. Baſil. Annô 1533. Alb. Torinô interprete: Quin & Caſtorium ipſum potui dare expedit. -- Novi equidem nonnullos miſerrimè hôc torpore impeditos, uno hôc medicamine ſanitati reſtitutos, longè verò majorem habet acetô mulſô admixtô efficaciam. Quodſi æger corpore pravis ſuccis infartô fuerit, mixta cum hôc ſcammo-*

scammonea præparata potissimùm, vel aliud quiddam alvum dejiciendi virtute præditum cum castoriò exhibendum est. Satis autem fuerit, si castorii duobus scrupulis dimidiatum diagridii (sic enim scammonium præparatum vulgò nominant) scrupulum adjeceris, aut plus minusq;, pro viribus cujusq;. Conf. Aretæus *de Morb. Acut.cur. L. I. C. II.* Ludov. Mercatus *de Int. Morb. cur L. I. C. XII.* Laz. Riverius *Pract. Med. L. I. C. II.* Alii.

§. 19. Notandum etiam, quòd in Sopore cum febre, præcipuè continuâ, conjunctô, purgantia mitiora sint offerenda, & curatio quoq; ad febris remotionem dirigenda. Ratione ergo febris vel enematis acrioribus, vel V. S., vel diaphoresi omnia obstacula tollantur, neq; Symptomatum maximè urgentium curatio negligatur.

§. 20. Quodsi clyster vel non, vel nimis diu retineatur, Suppositoriò utendum. V. C. ℞ Mell. ad durit. just. coct. ℥j, ♉, ⊕ an. ʒß. M. F. Supp. Nij, quorum unum ꝏ̊ irrigatum ano indatur, pòst tempore opportunò etiam alterum. Vel: ℞. Mell. ad durit. just. coct. ℥j, ✱ ℈j, Spec. hier picr. ʒß. M. F. Supp. Nij, usurpentur ùt moris.

§. 21. Et cùm nonnunquam Lethargus, seu potiùs febris, Lethargi causa, sudore finiatur, eâq; sublatâ etiam Lethargus cesset, teste Dan. Sennertô *Pract. Med. L. I. P. II. C. XX.*, sudor medicamentis promovendus. V. C. ℞ ⊖ card. ben., cent. min. an. ʒß. ▽ fumar. ℥iij. M. F. P. S. Schweiß-Träncklein auff 1. Mahl. Vel: ℞ ⊖ absinth., card. ben. an. ℈j, ⊕ perl. gr. Vj. M. F. P. S. Schweiß-Pulver auff 1. Mahl.

§. 22. Sternutationes moventia medicamina ex helleborô albô, nigellâ, liliô convallium, additô semper castoriô, etiam usurpari possunt, si affectus perseveret, & æger difficulter excitetur, non tamen usus eorum sit nimius & continuus, nè humores nimis commoveantur, & malum augeatur. Neq; ab initiô morbi sternutationes intempestivè conciliandæ, quod Empiricorum & muliercularum est proprium. Consentiunt in hôc Dan. Sennertus *l.* modò *c.*, Laz. Riverius *l* modò *c.* Gulielm. Rondeletius *Meth. cur. morb. L. I. C. XVIII.* Alii.

§. 23. Nec omittenda sunt insensibili modô resolventia & discutientia. V. G. ℞. Rad. angelic., aristol. l., galang an. ℥j, Bacc. laur-

laur. junip. an. ℥iß, Herb. majoran., hysſop., puleg., ſaturej. an. Mß, Fl. chamom., lavend. an. Pj. Coqu. in ✠ti q. ſ. Decoctô hôc ſpongia vel linteum madefiat, & calidè capiti imponatur. Quo factô capiti raſo ſequens Unguentum applicetur: ℞ ℥ rut., majoran. an. ʒiij, Caſtor., Cin. capill. hum. an. ℈iv, ✠t. parum. M. F. Ungv.

§. 24. Si hæc non ſufficiant, ad Veſicatoria deveniendum. V. C ℞ Ferment. acr. ʒvj, Pulv. canthar. ℈ij, zingib. ℈j, euphorb. ℈ß ✠t. q. ſ. M. F. Empl. Veſ. Applicetur vertici raſo. *Præ cæteris verò Topicis maximum juvamen à Veſicatoriô amplô, ulcuſcula plurimum manantia in toto ambitu capitis excitante, collatum novi. Duos ego Lethargicos poſt morbum diu protractum, & non ſolùm memoriam, ſed & notitiam ferè omnem deperditam, ab hôc potiſſimùm remediô ſanatos vidi: quippe in utrisq; loca excoriata, cùm iis cicatrix haud facilè obduceretur, ichoris tenuis copiam ingentem, nempe quotidie circiter libræ ſemis profuderant*, inquit Thom. Willis *de Animâ Brut. Part. II. c. 3.*

§. 25. Nonnulli quoq; Cauterium actuale occipiti, cùm morbi vis eſt maxima, applicare non dubitant. Et Zacutus Luſitanus *Prax. Med. adm. L. I. Obſ. XIV.* præter omnium ſpem, omnibus tentatis, bis Sopore affectos ſe cauteriô actuali perſanâſſe dicit. Conf. Marcus Aurelius Severinus *de Effic. Medic. in Pyrotechn. Chirurg. L. II. Parte de Entopyr. c. 9.*

§. 26. Tandem etiam cerebrum roborantia ſunt uſurpanda. V. G. ℞ Conſ. hed. terr. ℥j, Cond. cort. citr. ℥ß, Conf. alk., Zedoar. an. ʒj, Spec. læt. Gal. ʒß, Syr. de menth. q. ſ. M. F. Elect. S. Stärckende Lattwerg. Vel: ℞ Conſ. lavend., beton. an. ʒvj, majoran. ℥ß, Cond. cort. citr., nuc. moſch. an. ʒij, Cardam., Cinam. an. ʒj, Extr. caſtor. gr. Vj, Syr. beton. q. ſ. M. F. El. S. ùt antè. Inprimis utatur patiens per aliquot dies manè Caſtor. gr. iij aut iv. cum Oxym. ſ. vel ſquill., aut Syr. de ſtoech.

§. 27. Experimentum ſingulare in Sopore judicatur Succus Conſolidæ tam maj. quàm min. ad ℥ij bibitus, nec non Satureja cum flor. vino incocta, & calens occipiti admota, ùt & decocti hujus aliquot guttæ auribus inſtillatæ, ac alia nonnulla. Conf. Joh. Schenckius *Obſ. Med. L. I. obſ. 113.* Dan. Sennertus *Pract. Med. L. I. P. II. C. XX. & XXXII.*

§. 28. Bal-

§. 28. Balneum tepidum commendat Alexànder Trallianus *L. I. c. 20. ed. in §. 18. cit.* his verbis: *Cæterum in ejusmodi affectione lavacrum tepidum tantummodo competit. Cognovimus ipſi quempiam, qui lethargô tam graviter laborabat, ut morbum omnino non agnoſceret, neq; ſe levari ſentiret. Is poſt duodeviginti ægritudinis ſuæ dies balneum ingreſſus, tantum ſenſit auxilii, ut à ſomnô ſtatim expergiſceretur, alios attentè acciperet, & ipſe verba faceret, familiares omnes agnoſcens. Proinde ſi vires concedere videntur, in balneolô lavandi ſunt lethargici.*

§. 29. Si hæmorrhoides contra morem obſtructæ ſint, non inutile erit hirudines hæmorrhoidibus affigere, quod remedii genus ab imminente lethargô præſervare, & jam lethargô correptos ab eo liberâſſe, obſervatum eſt teſte Dan. Sennertô *Pr. Med. L. I. P. II. C. XX.*

§. 30. Salutare itidem erit, ſi Soporis cauſa in ventriculô reſtet, Vomitoriô uti, repetitô, ſi primum non profuerit, & æger facilè vomat. V. C. ℞ ⊖ ⊕l. gr. V, Croc. metall. gr. iij, Conſ. roſ. ʒiß, M. F. Bolus. S. zum Brechen. Vomitu à Sopore liberatorum exempla vid. apud Petr. Foreſtum *Obſ. & Cur. Med. L. X. Obſ. XXXIV.* Laz. Riverium *Obſ. communic. à D. Samuele Formiô XI.*

§. 31. Si aliud membrum ejusmodi vapores ad caput mittat, ejus habenda eſt ratio. Notabile exemplum occurrit apud Laz. Riverium *Obſ. Med. Cent. II. Obſ. XXVI.* Soporis ex uterô orti, hypnoticóq; curati.

§. 32. Ex ebrietate in Soporem ſiquis incidat, malum ceſſare ſolet, ubi patiens crapulam edormivit. Sic Petr. Foreſtus *l.* modò *c. in ſchol.* quosdam ſe noviſſe dicit, qui à largô potu Soporem incurrentes, nullo excitari modô potuerint, niſi crapulam edormîſſent.

§. 33. Diætam quod attinet: Aër ſit lucidus, moderatè calidus. Victus in principiô ſit tenuis & attenuans. Utatur patiens decoctô hordei vel ptiſanæ cum cinamomô. Cibi condiantur herbis cephalicis, hyſſopô, majoranâ, ſimilibus. Naſturtii eſum commendant Gulielm. Rondeletius *Meth. cur. morb. L. I. C. XIX.* Petr. Foreſtus *Obſ. & Cur. Med. L. X. Obſ. X.* Et miratur Rondeletius *l. c.*, quòd Fernelius ſcripſerit, Naſturtium ſomnum conciliare.

In progressu tamen affectûs, si præsertim vires sint debiles, carnes boni succi, ùt perdicum, gallinarum &c. edat. Vitet pisces, cucumeres lactucam, & alia frigida. A vinô ad declinationem affectûs usq; abstineat, aut utatur aquosô & adstringente, vel etiam aqua hordei cum cinamomô sit ejus potus. De Somnô tantum concedatur, quantum viribus recreandis sufficit, arceatur igitur â nimis longô vel profundô, præcipuè mox â cibô, modis quibus fieri potest, ùt garritu, jucundis colloquiis, aliis. Lepidus arcendi â somnô Opimium avarum modus fuit Medico apud Horatium *Sermon. L. II. Sat. III. v. 145. & seqq.*, cujus verba sunt hæc:

Quondam lethargô grandi est oppressus, ut hæres
Jam circùm loculos & claves lætus ovansq;
Curreret. Hunc Medicus multùm celer atq; fidelis
Excitat hôc pactô: mensam poni jubet, atq;
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum. Hominem sic erigit. Addit & illud:
Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet hæres.
Men' vivô? ut vivas igitur, vigila.

Non dissimili technâ alter vinosus excitatus fuit, cùm audiisset vasa sua vinaria vehementiùs commoveri, atq; indè vinum bibi, verba sunt Jac. Hollerii *de Morb. int. L. I. c. 8. in schol.* & Petri Foresti *l.* modò *c.* Plus etiam juvat moveri, seu animi seu corporis sint motûs. Urina & alvi feces justô tempore reddantur, ideoq; si ægri sint obliviosi & quasi stupidi, nè excernenda diutius retineant, admonendi. Tantum.

COROLLARIA.

I. Aliter fit Sanguinis Circulatio in fœtu, aliter in eo, qui in lucem editus est.

II. In systole cordis dilatantur arteriæ, & in diastole cordis constringuntur arteriæ.

III. Gemellorum & multiplicium partuum causa seminis divisio, non multitudo est.

IV. Aliud

IV. Aliud est Superfœtatio, aliud Gemellorum Partus.

V. Venena ità præparari posse, ut certô & definitô tempore hominem interimant, adsurdum est.

VI. Aureum est præceptum Latini Hippocratis, A. Corn. Celsi *de Med. L. I. C. I.*, quo vult, Sanum hominem, qui & bene valet & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debere, atq; oportere varium habere vitæ genus.

VII. Calculus non est morbus, sed causa morbi.

VIII. Æger tutò se comittere potest Medico Juniori.

IX. Bene faciunt, qui ægro, cibos morbum præsentem aliàs foventes vel augentes petenti, eosdem detrahunt, aliosq; meliores suppeditant; malè verò id sæpius exequuntur, si æger tales cibos summô appetitu desideret, tum enim haud raro concedendi sunt, nam *paulò deterior & potus & cibus, verùm jucundior, melioribus quidem, sed injucundioribus, præferendus est*, inquit Hippocrates Cous *II. Aph.* 38. & experientia ejusmodi diætam sæpius feliciter successisse manifestavit.

S. D. G!

Eruditiſſimo Dno. Reſpondenti.

QVod cani commune eſt cum balneo,
Id Excitatiſſimis Muſis cum ſopore.
Sed tamen
Sicuti non omnes qui oculos claudunt
dormiunt
Sæpe enim meditantur, aut ſpeculantur,
Ita Tu in hac palæſtrâ
Præclaro eruditionis indicio,
Ac recto cordatorum judicio,
Omnem helucum ac veternum
profligas & exterminas
Sic agere de ſopore
Eſt feriari, ſapere & vigilare!

ſcrib.
G. WOSEGINIUS. D.P.P.

ENdymion dum ſtertit iners, vigil incubat
umbris
LOHIUS, ut dextrâ Pallade promat opus.
Hæc videt, ac ſociis enarrat Cynthia ſtellis,
Mox etiam Phœbo ſcripta legenda dabit.
Quantum nocturnos ſuperat lux clara ſopores,
Tantum vulgarem laus tua vincet humum.

Præ Eximii, atq; Doctiſſimi Dni. Reſpond. laudatiſſimis conatibus gratulabundus applauſit
M. Michaël Hoynovius.

Al Signor l' Autore e Rispondente di questa Disputatione.

LE fiamme son dalla natura si create,
Ch'elle siano più grande essendo triplicate,
E sogliono ardendo sempre più altolevarsi
Che l'una dall' altra non possa separarsi.
Signor, à vostra naturalità, si come
Sembia, dalle fiamme si tira il vostro nome.
Poiche eleva da se questa rarezza d'arte
Trè fiamme radianti per le sue dotte carte,
Che Voi cercate della virtù il vero prezzo,
Dove si lo trova delle Muse per mezzo,
Voi fiammate à gloria triplice grandemente:
Li Dei ve la daranno un giorno certamente
Già promettendovi Trè corone d'honore.
Ciascuno crida: buon' hora à Signor l'Autore!

Aus dem Italiänischen übersetzt.

An den Herrn Autorem und Respondenten dieser Disputation.

NAtürlich sind Lohe und flammende Flammen
Viel hefftiger / wenn sie dreydoppelt beysammen:
Sie pflegen viel höher auffsteigend zu brennen/
So/daß sie kein Eysen kan hemmen noch trennen.

Du

Du scheinest von Lohe den Nahmen zu haben/
In welchem gantz gleich genaturete Gaben;
Denn dieses gar seltsam gedreyte Kunst-Stücke
Gibt von sich drey eyferig flammende Blicke
Daß dein Gemüth höchlich nach Tugend-Lohn strebet/
Da/wo mit Apoll die geneunte Schaar lebet:
Es flammet dreydoppelt nach höheren Ehren/
Dich werden die Götter noch deren gewehren.
Zu diesem hört man dir drey Cronen androhen/
Zu jenem/Glück ruffen/ Gelahrter Herr Lohen!

Dieses geringfügige wurde dem Hn. Respondenten, als Er drey verschiedene Disputationes zugleich außgehen ließe/ zu sonderbahrem Ehren-Ruhm derselben einer angefüget

von

Georg. Frid. May, Franc.

...essit [illegible] ...litatis publicae, vel Ecclesiae ... postulandi;
...ra potestne dispensare sine Causa?
...tiat, non vero Episcopus: quia est supra jus
...mmune, et voluntas in eo habetur pro causa, ita si
...inaret illum, quem certo sciret irregularem, ipso
...cto eum ipso dispensat. — in κονϕεσιονε ατ εγζοε δεβετ

et S. Bernardus:

Si necessitas urget, excusabilis dispensa(tio) est
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est.
cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio,
sed crudelis dissipatio est.

quod si condicio sit de praeterito vel praesenti
certe votum remanet reservatum. —

causa parentum. —